

VVERNIBALDV MONACHVS HIRSGAVIENSIS.



Vvernibaldus uirtutis & literarum amore mo-
nasterium Hirsgauu ingressus, uigilanti stu-
dio effecit, ut rerum cognitione alios omnes eo in
loco superaret. Itaq; factum cum anno noningen-
gentesimo sexagesimo nono, Otgerus Spirensis
Episcopus uita functus esset, ut Vuernibaldus in
eius locum omnium consensu antistes eligeretur.
Cum autē Vuernibaldus uideret Episcopos mul-
tum à priorum patrum & doctorum consuetudi-
ne decessisse, atque principum instar rebus secula-
ribus detineri, ipse hanc uocationem renuit. quo-
niā uero illi acrius instabant, ingenuè dixit: Si mun-
do seruire uoluisssem, in hanc solitudinem non ue-
nillem. Itaq; mirati eius constantiam Vuernibaldū eo in loco reliquerunt, ar-
que Vualdericum suscepserunt. Postea Vuernibaldus magna diligentia Deo
inseruuit, atque reliquo tempore cum extra ecclesiam esset, adolescentiam
instituit, ita ut apud omnes in maxima existimatione esset. Anon. in Episo.
Spirens.